C 458.


LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGIULIANI DI GUALDANA
LAZZELADA DI BEREGUARDO
PURCHASED 1921

ORATIO
In Anniversario Funere
JOANNIS BAPTISTÆ
S.R.E. CARDINALIS ZENI
HABITA

A BENEDICTO PISANI

PATRITIO VENETO

Coram Sereniſſimo Principe,

Et Sapientiſſimo Senatu.



VENETIIS, M.DCCXIII.

Apud Antonium Bortoli

SUPERIORUM PERMISSU.

ORATIO.



O Qui, expiatâ ſolemni Sacrificio Animâ EMINENTISSIMI ZENI, ad inexpertum exinde oratorem vultus attollitis, SERENISSIME PRINCEPS, SAPIENTISSIMI PATRES, date veniam humiliter deprecanti, ſi hodierna ego die ſilentio veneratus encomia, quæ Eccleſiæ PRINCIPI deberem, ad veſtram incredibilem largitatem extollendam me converto. Noſter EMINENTISS. CIVIS PATRIAM SERENISSIMAM ingentibus quidem donis cumulavit: ſed vos ita penſatis beneficium, ut immenſa illud beneficiorum multitudine obruatis. Nam & grande admiror Monumentum in ejus honorem erectum, quod temporis injurias ſupereminens coævum ſit æternitati: & cum alius quivis princeps etiam munificus tam eximia eſſet retributione contentus, hos etiam video terminos à liberalitate veſtra contemni. Inſuper enim quotannis ſacram memoriam Juſtorum cæremo-

niis instauratis, in quibus vestra benignitas ita cum pietate contendit, ut relinquatur incertum, utra ab alia superetur. Duo quàm splendida munera publicæ gratitudinis! Quæ cum similibus extra se conferri non possint, digna sunt, quæ secum invicem conferantur. Igitur accipite mentis meæ dubitationem: nimirum utrum efferat magis gloriam EMINENTISSIMI CARDINALIS, Monumentumne tantâ pompâ à vestra largitate constructum, an annua Solemnitas Exequiarum?

Hoc celeberrimo in Templo, qua idem parte ad orientem vergit, surgit Sacellum verendo Nomini erectum supremæ REGINÆ DEIPARÆ. Marmora pavimentum, & muros induunt ex ultimis Numidiæ plagis devecta: tectum arcu curvatum vivis depingunt figuris ingeniosi lapilli. Medio in spatio ærea innixum basi protenditur æreum feretrum, quo toto ipsum quoque ex ære fusum explicatur corpus EMINENTISSIMI PRÆSULIS infulis sacris, Principisque majestate exornatum. Sex circum astant matronæ Corinthiaco in metallo ita spirantes, ut dicas Præficas lugentes summum Virum defunctum. Si quis præclarorum operum admira-

mira-

miratione ſuſpenſus interroget , quid ſtantia ſimulacra ferant mœſto luctu ſqualentia? Virtutes referunt, inquam, quæ ut vivum ornarunt EMINENTISSIMUM PRINCIPEM, ita mortuum lamentantur. Adſpice: Quòd ille toto vitæ curriculo lachrymabilem hominum ſortem auro ſuo ſerenavit; en prima Pietas. Quòd templorum vel extructioni, vel nitori incredibiles opes impendit : quid verò? Quòd immenſos in Patriæ ſinum theſauros effudit; en altera Munificentia. Quòd PAULI II. Pont. Max. Avunculi ſui lateri præſertim affixus totius orbis regimen ſuperna mente ſuſtinuit; en tibi Prudentia. Cæteras Virtutes examine diligenti percurre; hæ ſiquidem ſunt, quæ à D.O.M. nomina deducunt ſua, VIRIQUE EMINENTISSIMI ita corde inhæſerunt, ut ſub hominis ſpecie verus Angelus hæc inter terrena ſemper Divina anhelarit. Pretioſo Mauſoleo ita per partes expenſo, tanta veſtra liberalitate conſtructo, ut oculos impleat ſtupore, animos veneratione, quæro, P. C., potuitne majori famæ celebritate honorari EMINENTISSIMI ZENI memoria? Sed nondum eſt librata Monumenti æſtimatio. Quid ſi

di-

dicam illud excoli hoc in Templo D. Marci, nempe ea in Basilica, quæ rerum mirabilium est epitome? Nam quidquid ostentare potuit Byzantium, quidquid omnis ferè Palæstina, quidquid Urbes orienti subditæ soli, religione sanctum, pretio conspicuum, arte magnificum, hìc vel adorationi populorum, vel admirationi exhibetur. His accessere miræ Templi animæ artifices, qui hoc in cœlo, hoc in pavimento, his in parietibus tot miracula excitarunt, quot manuum exercuere opificia. O qui venerabile Sacrarium ingressurus es, hospes, certo gressu subsiste, specta in Templi facie quatuor celebres equos totâ penè Europâ vagatos: his dices trahi posse quadrijugo curru triumphali more magnificentiam. Perge, & in januis aperiri tibi cœlum videbitur in cœlitibus circum undique expressis. Gressum continuo stupore conjunge: at quæ sub pedibus habes, timido tere vestigio, gemmas calcas. Quocunque oculorum aciem circumferas, innumeræ tibi imagines occurrunt, tantâ singulæ excellentiâ eminentes, ut nihil eis desit ad vitam, nisi vox, quæ ipsa quoque auditur, si credas oculis. Nulla enim hìc

ta-

tabula, in qua non laborarit ſummus Apelles: nullum ſignum, in quo non deſudarit mirus Lyſippus. Demum fulvo metallo ita omnia opera ornata ſunt, ſeu onerata, ut mirabilibus in artefactis nihil ducas eſſe vilius auro. Quin totum Templum attonitis metire luminibus; hoc eſſe Sanctuarium fateberis dignum DEO, cui ſacretur, dignum PRINCIPE SERENISSIMO, à quo conſacretur. Itaque hos inter ſanctitatis theſauros, artiumque triumphos Mauſoleum EMINENTISSIMI CARDINALIS annumeratur, quid ipſi, quid unquam honorificentius? An addendum fortunata Monumenti mole hoc poſita in Templo apertè fieri, ut EMINENTISSIMUS PRINCEPS ſplendores ſuos communes habeat cum SERENISSIMIS PRINCIPIBUS, quorum Stemmata vaſtis orbibus pretioſo metallo micantia, ipſa quoque monumenta Gentium glorioſiſſima hac eadem in Baſilica veneramur? Indeque naſci, ut CARDINALIS ampliſſimus inter prima Patriæ Lumina recenſeatur, nimirum inter CORNELIOS, inter CONTARENOS, inter VALERIOS, alioſque multos, qui Regio Cornu fulgentes

tes huic Cœlo Serenissimo miram lucem intulerunt ? Videte, P. C. num majorem gloriam afferre possit EMINENTISSIMO PRINCIPI tam pium, tam splendidum, tam honorificum Monumentum. Sed tollat etiam in sydera Nomen EMINENTISSIMI PRINCIPIS Mausoleum, altiùs adhuc ferunt annuæ ornatissimæ Exequiæ. Omnia circumspiciamus. Hodiernæ celebritati quænam alia existimationis significatio etiam amplissima comparari potest ? Nam sileo sumptuosum pegma regali ornatu compositum, in quo innumeris luminibus accensis, videtur adhuc publica pietas grandem Animam quærere EMINENTISSIMI CARDINALIS. Sileo inter tanta Justorum solemnia oratorem in hoc suggestu sudoribus diffluentem, ut sacri HEROIS ornet labores. Sileo nobilissimam Civium coronam, *coronam meam*, decus funeris, & *gaudium* Venetæ felicitatis. *Audite, cœli, quæ loquor*. Sola facit hunc diem super omnem fulgorem Serenissimum præsens AUGUSTA SERENITAS: sola vincit cujuscunque memoriæ etiam regalis majestatem astans REGIA MAJESTAS.


UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 103575285